DE CRISIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. M. JANUARII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS NUCHTEN
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
V. HACKEL, MED. ET CHIR. DR.
R. JUERGENS, MED. ET CHIR. DR.
H. SEYDEL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTUM DILECTISSIMORUM

MANIBUS

SUMMA PIETATE IN AETERNUM VENERANDIS

D. D. D.

AUCTOR.

CRISIUM ORIGO ET NOTIO.

Vitae conditionem et valetudinem partim ex internis virium vitalium materiarumque organicarum rationibus, partim e commercio inter vivum corpus et res externas intercedente pendere, inter omnes constat. Organismo vero humano, qui quidem semper studet, rationes illas naturae suae accommodare, sed non omnibus formationis et conservationis conditionibus ipse instructus est, non solum irritamenta quaedam ad vitam conservandam necessaria sunt, sed etiam irritamenta percipiendi facultas inesse debet. Quae tamen irritamenta, quum neque omnia organismi ad quem pertineant usui apta sint, neque ejus conditioni, quomodocunque se habeat, idonea, nec singula ejusdem organa ita afficiant, ut organicarum functionum consensus ad vitam conservandam necessarius obtineatur, hac ipsa percipiendi facultate organismus omnibus quoque potentiis inimicis sibi et nocentibus pa-

tefactus, atque ad morbos excipiendos dispositus est; et organismus quidem, quem summa texturae et structurae perfectione insignem videamus, quo majori teneritudine, subtilitate, nexu multiplice et complicatione, itaque restaurationis necessitate constructus est, eo facilius potentiis nocivis laedi et structurae et conformationis vitiis affici potest. — Vita itaque normam sibi propositam ne per certum temporis intervallum quidem servare posset, nisi ei sive vis, sive facultas inesset, quibuscunque organismum ad actionem irregularem sollicitantibus et statum partim organorum singulorum, partim organismi irregularem provocantibus irritamentis (quas potentias nocentes dicimus) resistendi, ea repellendi, sibi subigendi atque assimilandi, itaque destructiones materiarum organicarum emendandi et actiones vitales in statum regularem et in consensum inter se reducendi.

Quae ad conservandum organismum necessaria facultas, qua vita organica se ipsam ad eundem semper typum primitivum conservare et regenerare studet, *reactio* nominata est. Hac facultate efficitur, ut per totam vitam certamen quasi existat, formas et rationes elementorum viriumque, in certam vitae speciem concretas, contra irritamenta quantitative aut qualitative, mechanice aut dynamice aut quoque modo adversa, incolumes servandi, ita ut per totam vitam certamen inter mortem et reditum ad vitam exstet.

Reactio vitalis ita non solum in organismo morbo affecto, sed etiam in valetudine secunda reperitur, itaque quamque incitationem sequitur, etiamsi irritamentis consuetis et organismo aptis ac necessariis, gradum in minorem, extrinsecus non perspicuum utitur, tum quidem

cognoscitur tantum, si functiones organicae gravius alterantur irritamentis aut vitae humanae natura infensis (ut contagia, venena), aut ceteroquin aptis, per vim solam justo vel majorem vel minorem qua agunt nocentibus.

Organismus quidem tempore, quo potentia nocente afficitur, passivum concipientem quasi oppressum se gerit, mox vero vis reagens illius potentiae impetui renititur; imo saepissime ex symptomatibus, quae organismi reactionem sequuntur, vim inimicam effectum habuisse, solum perspicitur.

Hoc tantum in casu, aut prae ceteris viribus vitalibus potentiis specifice nocentibus corruptis, aut vera jam praevalente debilitate (sed hoc etiam in casu, initio ipso organismum quasi per singulos impetus potentiae morbificae repugnantem neque raro conaminibus repetitis superantem videmus), aut corpore tanta intentione affecto (uti venenis) ut statim vel organorum destructio, vel systematis nervorum paralysis, vel sanguinis dissolutio efficiatur, reactio eo ipso suppressa esse potest. Pro symptomatibus reactionis consuetis, pro orgasmo, expansione systematis vasorum, incitatione systematis nervorum, intentione telarum etc. organismum ab initio subactum habemus.

Maxime autem perspicue vis reagendi effectus in illis morbi mutationibus, quibus saepissime uno quasi impetu morbi acutissimi ipsi aut tolluntur aut in alios convertuntur morbos, in *crisibus* nobis apparet. Ab initio morbi nimirum per stadia ejus diversa usque ad illud momentum, quo organismus morbo ad summam intentionem provecto premitur, et opponendo cuilibet mutationi abnormi, et regenerando, et omne peregrinum sive foris

illatum, sive in corpore ipso generatum, sibi assimilando vel eliminando, reactio omni, qua gaudet vi, potentiae nocenti renititur.

Illud morbi momentum, quo certamen inter morbum et vis vitalis reactionem in discrimine vertitur, generaliter crisis vocatur.

Etsi illa vox sensu, quem nos exposuimus, generali hodie minus adhibetur, atque ea potius, quae crisin sequuntur, i. e. excreta ipsa critica significare videtur, illa tamen nostra significatione primum in usum est vocata, et quidem ab Hippocrate [1]), medicinae conditore et patre, qui unamquamque morbi commutationem vehementiorem, sive in meliorem sive in pejorem partem exiret, primus crisin nominavit.

Discrimen tamen morbi varium esse potest, primum circa rationes, quae sunt inter singulorum organorum vel organismi universi vim vitalem et morbi naturam magnitudinemque, tum quod attinet ad effectum aegrotis vel faustum vel infaustum, tum circa tempus.

Itaque morbi discrimine perfecto absolutoque crisis etiam perfecta erit, quae crisis aut perfecta bona videtur, ubi morbi irritamento omnino superato, reactio organica plane vicit; aut perfecta mala, ubi organorum vita et quae in iis viget vita universali extincta, reactio plane devicta est.

Verum enim vero discrimem morbi imperfectum esse potest, ita ut, aut organorum laborantium structura im mutata, eorum functiones turbatae, et quae ex iisdem prodeunt, permutatae sint (pseudocrises); aut morbo pri-

---

[1]) Epidem. libr. I. sect. III. p. 965.

mario desumpto, morbus recens, quem prioris effectum habeamus oportet, exstiterit, eo quod partim alterius organi affectione affectio quaedam alterius morbosa provocata sit (et organorum ad structuram inter se cognatorum et organorum ejusdem systematis), partim morbi mutatio ex quibusdam conditionibus nobis adhuc ignotis (ut in affectione ossium ex exanthemate syphilitico) pendeat, id quod crisin translatoriam seu metastasin nominamus; aut morbus in morbum immutatur, cujus mutata natura forma etiam mutatur, id quod metaschematismus dicitur; aut morbi discrimen temporis ratione habita imperfectum sit, quia non in eo accidit, ubi reactio organica ad summum ducta sit, sed singulis et paullatim iteratis tentationibus perficitur, id quod lysis seu crisis interrupta appellatur.

Crisis tamen proprie sic dicta illud tantum discrimen inter reactionem vitalem et morbum nominari solet, quo uno quasi impetu morbus in sanationem vertitur, quo sensu de crisi, quum in morbis curandis maximi sit momenti, hic prae ceteris disserere volumus.

Quae ita determinata crisis est illud phaenomenon benignum, quo diuturni, omnibusque remediis resistentes morbi saepissime tolluntur aut immutantur, quo organismus nulla medicinae arte adhibita, a morbo crebro liberatur, falsae etiam curationi natura ipsa renititur. Ut paucis dicam, in casibus felicioris curae ipsis medicus nihil profecit, nisi vitalis contra morbos repugnantis reactionis adjuvit facultatem.

Si vero quaerimus quomodo efficiatur, illud quod supra de reactione, quatenus criseos causa sit, diximus, sic repeti potest, ut dicamus: non solum functionum,

quae ad singula organa singulaquae systemata pertineant, aequalitatem turbatam in integrum revocari, ita ut vel nimiae contentioni temperetur, vel tela laxata iterum confirmetur; verum etiam materias, quae aut morbum adduxerint, aut ex eo provenerint, organismo similes fieri, aut si assimilationi non cedant, ex eo tolli.

Quae symptomata graviora reactionis vitalis, omnibus viribus morbo ad summum provecto repugnantis, paullo ante incipientem et aegrotorum sortem edentem crisin videntur, *pertubationes criticae* vocantur.

Excretionum criticarum natura.

Irritamenti subactionem quaedam symptomata ei propria sequantur necesse est. Horum indiciorum spectabilium, quae crisis existentiam indicant et symptomata critica nominantur, ea praecipue, quae in secretionibus et excretionibus quantitative et qualitative immutatis — excretiones criticae — constant, digna sunt quae a nobis observentur.

Quae excretiones organis naturali excretioni inservientibus (ut cutis, renes, tractus alimentarius sunt) nec minus colatoriis recens paratis effici possunt (sic in ulceribus, haemorrhagiis quibusdam).

Semper hae excretiones criticae apud medicos magni fuerunt momenti atque ea de causa secundum sententias de morborum natura vario modo explicatae sunt. — Plerique pathologorum humoralium, qui morbi originem ex humorum vitio petierunt, et Hippocratis opinionem sunt secuti, crisin pro excreta materie peccante habentes, quae secundum Hippocratis doctrinam, quum crudi aliquid sit,

orgasmum maximum excitet, ideoque praeparationis sive coctionis indigeat, ut per crisin excernatur.

Ubi vero accuratius videmus, quae sit conditio inter has excretiones criticas et morbos, reperiemus:

1. Esse partim excretiones consuetas, quae etiamsi non causa morbi, tamen universae sphaerae vegetativae contentione vel suppressae vel imminutae sint, nunc vero vitali reactione vincente et morbi discrimine liberae fiant.

2. Esse partim tales, quales lege antagonismi, qua actio vitalis in altero organo subito suppressa in altero saepe eo magis evocatur, existant, ut sudores critici e morbis frigore effectis vel haemorrhagiae criticae ex haemorrhagiis consuetis etc.

3. Esse partim tales, quibus ea, quae ipso producantur morbo, excernantur, quae aut actione plastica morbo adaucta vel abalienata, quare normalia esse non possunt, aut ex materiis organicis nascantur, quae nequaquam resorberi possint, aut resorptae novam excitarent reactionem, quam denique earum excretio sequeretur.

4. Partim tales quibus revera materiales morbi causae excernantur atque hoc modo morbi ipsi tollantur, ut diarrhoeae in febribus biliosis, vermium excretio etc.

Unde efficitur, ut hae excretiones non ipsae, quod a multis contenditur, sint crises, sed tantum regenerationis crisi effectae processus, ut nihil nisi finem reactionis ad crises absolvendas necessarium praebeant; deinde ut ipsae videndae sint excretiones, quibus vel ipsa morbi causa, vel materies inutiles, quoquo morbo graviore genitae et retentae (producta morbi) excernuntur; ut denique inprimis eo, quod organorum functiones iisdem materiis morbosis impeditas vel oppressas a viribus his

nocentibus liberent, ad restituendam organismi integritatem conferant.

Molimina critica.

Excretio critica instans saepe certis indiciis cognoscitur, quae et in toto organismo et in partibus maxime affectis, et in organis, quae natura ad excretionem delegit, apparent et *molimina critica* appellata sunt. Cujus rei causa cum in succorum aucto turgore et sanguinis affluxu ad ea organa, quorum functiones augentur, tum in incitatione nervorum nobis quaerenda est, quam excernendae materiae alienatae organis excretioni inservientibus inferunt, quibuscum reflexus nervosi symptomata communicantur.

Haec molimina critica saepissime ad prognosin, et qualis crisis futura sit et qua perfectione sive imperfectione, et quales materiae excernendae, adhibita sunt: re vera autem nullius momenti sunt nisi ad organum, quod excretioni deligitur, definiendum.

In cute vulgo ex turgore, ex calore aucto, e pruritu constant; in tractu alimentario colica, meteorismus, tormina ventris, nonnunquam tremor labii inferioris animadvertitur; in organis uropoëticis gravitas et oppressio in renum regione, nimia vel vesicae vel urethrae sensibilitas, difficultates urinae, stranguria, pruritus ad genitalia, retractio testium ad annulum abdominalem adsunt, sitis etiam aucta; in organis pelvis affectis (proctorrhoea vel metrorrhagia significata) gravitatem atque hypogastrii oppressionem, dolores in regione lumbali, pruritum ad anum vel in vagina animadvertimus; in naribus (ante

epistaxin) pulsatio aucta arteriarum capitis, congestio, vertigo, rubor faciei, pruritus ad nares, susurrus vel sonitus aurium occurrunt. Quae attinent ad singula organa, statim commemorabo.

Conditiones, e quibus organorum excretivorum delectus pendet.

Quum in morbis organum unicum fere nunquam, complura vero organa prope semper una affecta sint, aut certe consensualiter aegrotent, quum etiam morbi topici plerumque in organismum universalem effectum habeant, crises quoque aut locales, aut generales, aut quod praecipue fieri solet, uno tempore generales et locales sint, necesse est.

Per quod organum κατ᾽ ἐξοχὴν evacuatio fieri debeat, variarum conditionum est, quarum nonnullae tantum nobis notae sunt.

a) Individualitate, aetate et sexu organon excretorium determinatur: aetas juvenilis, turgor gravior, plethora, in morbis reactionem per systema vasorum ac discrimen per haemorrhagiam criticam facile adducunt. Mulieres tempore pubertatis vel expediendae menstruationis saepe ad crises in genitalibus inclinantur.

b) Secundum naturam morbi et materiarum excretivarum illo formatarum, quae aut hoc tantum modo excerni possunt, aut certis in morbis praecipue propensae sunt ad excretionem per certum organum, ut rheumatismi per sudorem, arthritidis singuli paroxysmi plerumque per urinam decerni amant.

c) Haud raro crebra unius organi affectione inclinatio materias morbosas sibi ad excretionem attrahendi videtur.

d) Sede morborum excretio terminatur, ut in morbis organorum respirationis crisis in membrana bronchiali mucosa oritur.

e) Anni quoque tempora multum valent, ita ut crises hieme per renes, aestate per cutem prodeant.

Excretorum criticorum qualitas et momentum.

I. Imprimis qualitas est describenda universalis excretorum:

Ut ea revera critica nominare possimus, hasce rationes ostendant necesse est:

Primum hae excretiones tempore opportuno apparere debent, et quidem eo momento, quo organismus maxime afflictatur, ita ut morbi irritamentum vel assimilatum vel subactum esse possit et aegroti, incipiente crisi, aut antea levatos sese sentiant.

Tum satis abunde sint, necesse est; dein excretiones satis faciliter fiant; porro consistentia sufficiente sint nec minus solidis materiis, protinus ex iis praecipitandis saturatae; denique, ut excretione facta mox calori illi corporis interno et normali aequalem temperiem praebeant, postulatur.

Quae illis indiciis evacuationes carent, symptomaticae tantum vocari possunt.

II. Singulis phaenomenis criticis observatis, haecce reperimus:

Ut urinam criticam nominemus, satis abunde secer-

natur nec solum ad modum potus, quem biberis, in initio nubecula superficiali eademque suspensa praedita, sedimentum plane praecipitetur atque in medio paullo altius sit, atque urina superior clara et pellucida sit necesse est. Neque excretio sit invita.

Sin mali odoris aut coloris est, aut sanguinis vestigia praebet, nullum est critici discriminis indicium.

Semper autem in prognosi id minime negligendum est, urinam, si sola critica sit, magni momenti non esse, nisi reliqua praeterea symptomata ei consentiant.

De sudore critico reposcitur, ut non conditionibus solis externis, uti tegumentis, provocetur, sed e cute calida atque in toto corpore, aegrotorum sensui jucundus, calidus, liquidus, nec glutinosus, atque cum aliis symptomatibus secundis erumpat. Nam sudor frigidus, glutinosus, copiosus, colliquativus et foetore insignis nunquam criticus, sed exitus pessimi omen est.

Ut de haemorrhagiis secunda sit prognosis statuenda, haecce ostendant necesse est: Non solum naturam activam (id est, ut quodam irritamento — cujusmodi hic est vis reactionis — evocatae sint, ut temperatura aucta, pulsus plenus et duriusculus sit, sanguine vero emisso mollescat atque tardescat, quum in haemorrhagia passiva parvus et vacuus faciliter comprimendus sit atque in profluvio minor ac frequentior fiat; ut sanguis ipse modo interrupto periodice profluat, dum haemorrhagia passiva sensim sensimque fit, difficulter sistenda est), prae se ferre debet, verum etiam copiose quidem, sed non profusius, qualitate arteriosa, consistentia apta et coagulabilis sanguis emittatur, necesse est. Deinde organo excretivo et aegrotorum natura nec minus ratione inter eas hae-

morrhagiae criticae dignitas, itaque prognosis determinatur: sanguinis profluvia ex pulmonibus, ex organis uropoëticis vel e ventriculo rarius sunt fausto eventu, quum aut non satis copiose, ergo non critice, aut profusius — quo in casu organi dispositio ad morbum fortasse magis perniciosum remanet — profluant. Epistaxis contra, imprimis in adolescentibus et in habitu robusto et in plethorico; metrorrhagia maxime tempore menstruationis, proctorrhoea, praesertim qua aliae suppressae haemorrhagiae supplentur (ut haemorrhoides) criticae haberi possunt.

Diarrhoeae criticae et in tractu alimentario, et in systematis chylopoetici affectionibus topicis, et in morbis universalibus occurrunt. Diarrhoea vero critica non habenda, nisi status gastricus aut morbi cum eo conjuncti dijudicantur; alio modo ortae non sunt criticae habendae, ut sedes colliquativae in phthisi. Conditiones, sine quibus criticae non videntur diarrhoeae, hae sunt: ut quantitate et qualitate morbi naturae aptae neque copiosiores neque plane exiguae sint, ut aegrotis levamentum parent ac in morbis natura gastrica praeditis appareant.

Diarrhoeae frequentissimae, colliquativae, putridae, vel cum sanguine dissoluto mixtae, symptomata tantum perniciosa habendae sunt. — De qualitate infra disserendum est.

Salivationes criticae rarius in conspectum veniunt. Quae, functione aliorum organorum suppressa, (ut cutis functione exanthematibus laesa) vicariae supponuntur, prae ceteris criticae ducendae sunt, uti salivationes in parotitide rheumatica, in glandulis submaxillaribus vel sublingualibus rheumatice tumefactis, quibus in casibus crises

per cutem ac per urinam deficere solent. — Praeterea adhuc, quae salivationes haud nimia quantitate in neuralgiis nonnullis, quae positae sunt in nervis cum glandulis salivalibus conjunctis, velut in prosopalgia, apparent, criticae existimandae sunt, quibus singulorum paroxysmorum dijudicationes efficiantur.

Sputa critica: Quibuscunque secretionibus materiae aut singulis organis necessariae aut destructae secernuntur itaque membranarum mucosarum morbo affectarum secreta alienata in excreta mutantur, quae, ne organorum functiones turbent excerni debent. Quem in modum sputa in mucosa organorum respirationis membrana, mucus vero in aliis membranis mucosis (ut vesicae urinariae) formantur. Sputis variis secundum numerosos organorum respirationis morbos valde inter se differentibus, sputa critica nonnisi in illorum morbis acutis reperiuntur, quae critica nominanda, si faciliter ejiciuntur, nec praeter normam aquosa, sed globosa potius sunt, neque copia majore vires exhauriunt neque sanguinis particulas admixtas praebent.

Praeterea etiam vomitus in criticarum excretionum numero habetur, qui tamen plurimis in casibus neque ex morbo ipso pendere neque directe eo effici, sed potius symptomatice, nervis ventriculi consensu irritatis, provocari videtur. Quo vomitu materies excernuntur, quae in morbum ipsum effectum habuerunt, ita ut aut morbi causae aut fructus ejus ejiciantur, ille criticus nominari potest. — Vomitus vero ipse ad crises promovendas, ut sudore propellendo, confert.

Sed crisis speciei ad excretiones non pertinentis hoc loco mentio facienda est. A multis somnus, quo neuro-

sium paroxysmi nonnullarum finiuntur, in crisium ordine ducitur. Cum vero dijudicationem vi vitali subito et aegro salutariter effectam crisin diximus, de neurosium crisi vix dici potest. Quae quidem neurosis alio, et quidem vegetationis morbo orta est, revera ita finiri potest, ut pristina vegetationis valetudo per crisin revocetur, quo facto etiam neurosis sanetur. Sed nervorum ipsorum affectio longinqua tantum ac lenta materiae nervosae regeneratione emendari potest. Somnum vero, qui paroxysmos singulos, vigore permagno atque alacritate peractos sequitur, incitatione morbosa viribus exhaustis imminuta nequaquam reactione vitali effici, censere debemus.

Denique commemorandum est, id quod haud raro accidit, conamina vis reactionis ad removendas materias morbificas non sufficere, igitur aut in loco formationis, aut in aliis locis residua morbi deponi iisque morbos secundarios adduci effici, id quod pseudocrisis nuncupatur.

Ut aliis in partibus morbi residua deponantur, efficitur ita, ut organum excretorium vel ante morbum modo abnormi formatum, vel morbo ipso destructum sit, aut materiae excernendae partim ad quantitatem majores, partim ad qualitatem inimiciores sint quam ut organis consuetis removeantur, aut excretiones per curam a viis illis deductae sint. Quibus pseudocrisibus et lympha plastica exsudatur et hydrops et suppuratio et induratio effici potest.

Dies critici.

Jam integra vis vitalis certis oscillationibus et rhythmicis et quotidianis movetur, id quod non solum in pulsu

ad vesperam frequentiore tempore matutino retardato, sed etiam e somnis vigiliisque alternis videri potest. Vi vero vitali praeter naturam morbo aucta, omnibus viribus ad vitae integritatem restituendam reactione maxime incitatis, vicissitudo illa clarius etiam in lucem edatur necesse est.

Itaque in morbis non solum exacerbationes quotidianae nobis occurrunt, verum etiam symptomatum certorum dierum consensus observatur, ita ut primi et tertii, deinde secundi et quarti diei symptomata, itaque porro sibi respondeant.

Quum ita reactio etiam, morbo certis diebus vel provecto vel imminuto, certis diebus aut augeatur aut remittatur, crises quoque illis diebus exspectandae sunt, id quod de criticis etiam excretionibus valet. Quo efficitur, ut praesertim morbi febriles, qui stadia septenaria ac periodos tertianas vel quartanas maxime amant, die quoque septimo facilius discrimem faciant ac alio. Qui dies jam a veteribus, imprimis ab Hippocrate, Celso, Galeno observati, *dies critici, decretorii, judicatorii, judicantes* nominati sunt. Dies autem in medio stadio septenario positos, ut quartum, undecimum, decimum septimum, quos praeparationem ad crisin proximo die septimo instantem indicantes crediderunt, *dies indices* appellarunt. Attamen morbi decursu causis variis modo praecipitato, modo retardato, crisis diebus illis non modo consueto observantur: quo factum est, ut a veteribus inter dies criticos et indices praeterea etiam *intercidentes, intermedii, intercalares* dies, quibus crises quamquam imperfectius absolvi possent, interpositi sint, ut tertius, quintus, nonus. Ceteros, quos ad medicamenta exhibenda aptissimos credebant, dies *vacuos* vel *medicinales* vocarunt.

Medici permulti secundum hanc criticorum dierum doctrinam, nullos morbos nisi diebus criticis dijudicari posse putaverunt. Sed febribus quibusdam exceptis, quae plerumque decursu utuntur definito, quisque morbus quoque die in valetudinem verti, ergo et crises, quamquam diebus criticis fieri solent, alio quoque die ingredi et cura quoque die institui potest.

De morbis qui crisibus dijudicari, atque de iis, in quibus desiderari solent.

Propter diversam morbi naturam ac diversas vitae rationes vix constitui potest, quibus morbis critica dijudicatio immineat. Quum enim ad crisin provocandam potentiae nocentes reactione vitali subactae sint necesse sit, criticam dijudicationem multis rationibus, noxiae natura vi vitali vel aucta vel suppressa, organorum functione vel laesa vel illaesa, individualitate etc. determinari facile intelligitur.

Contendi potest generaliter: primum crises imprimis in vitae vegetativae morbis apparere, tum deesse in nervorum morbis, qui rarius causis materialibus provocentur; deinde vim vitalem, quo majoris momenti organum affectum in vitam vegetativam sit, quo citius sanguis affectus sit, quo difficilius noxa assimilari possit, eo magis ad reactionem incitari; tum crises fauste absolvi, ubi vis vitalis, nec potentiis nocentibus omnino suppressa, nec tali modo excitata sit, ut vires reactione excessiva brevi tempore exhauriantur, organis nondum gravius laesis vel destructis; porro crises potissimum in morbis acutis observari neque in chronicis deesse, quod permulti modo

acutum modo chronicum sequantur decursum, sed in his minus in conspectum venire, quia et propter cacochymiam et propter organorum destructiones et propter vim vitalem, conaminibus morbo resistendi ac removendi satis exhaustam, sensim sensimque tantum dijudicari possint.

Praeterea nunc etiam morborum, qui plerumque crisibus dijudicari solent, atque symptomatum cum illo discrimine conjunctorum, deinde morborum, in quibus praecipue crises desideramus, mentio facienda est.

1. Crises nobis occurrunt:

imprimis in morbis febrilibus, qui per sudorem et urinae sedimentum critice dijudicari solent, ita ut excretiones criticae in toto stadio decrementi inveniantur.

Iisdem et febres simplices et quae erethismi et quae synochae symptomata producunt, decerni possunt.

In febribus gastricis valetudo secunda per crises lentas efficitur, et quidem urina critica multo rarius observatur quam sudor. Urina nonnunquam in iis critico sedimento flavescente instructa est, maximam partem ammonio urico consistente. Praeterea in febri gastrico — biliosa vomitus biliosus simulque diarrhoeae valde foetentes apparent, urinae sedimentum biliverdini aliquid continet. Deliria, si adsunt, somno interrumpuntur.

In typho determinata stadia observantur et quidem dies quisque septimus, praeterea nonus, undecimus, decimus, septimus etc. crises secum gerere solent. Crisis dignitatis majoris sudor proprio insignitur odore, saepe et furunculis ad extremitates inferiores vel ad dorsum, et exanthematibus propriis, pseudoscabie nominatis, et miliaria alba suppletur. — Haud raro etiam haemorrhagiae criticae praesertim in individuis robustis vel ado-

lescentibus accedunt. Tum observantur secretiones copiosae organorum respirationis membranae mucosae, sputis coctis non dissimiles, quae praeter alia symptomata magni aestimandae sunt. Dein quod spectat ad urinam mirabile est, quod, quantum per sudorem crisis valet, tantillum per urinam efficitur. Urina quidem, secundum morbi stadia, praesertim in typho abdominali multas offert varietates, ita quidem ut quae in primo stadio acida fuerit reactione, tum in stadio nervoso calica fiat, denique in criseos stadio ad physiologicam reducatur qualitatem.

Interdum in typho abdominali, in stadium nervosum, plerumque die septimo, transeunte urinae sedimenta fere critica sunt observata, praecipitata ex urina acida turbata, composita salibus uricis. Quae vero in stadio secundo apparent urinae sedimenta, crisis indicia quasi habenda sunt, si urina paullatim pellucida facta calica est reactione, si sedimentum e salibus phosphoricis ammonioque urico compositum, perfecte praecipitatur.

In typho putrido interdum urinae foetorem putridum exhalanti sanguis immixtus est, quod symptoma semper ad prognosin pessimam referendum nequaquam criticum existimandum est.

Status nervosus per se in typhis dijudicatur, ita ut ex deliriis furibundis excitatio blanda, ex agitationibus perpetuis somnus evadat, quo peracto aegroti valde restaurati in vitam redeunt.

In febribus, quae typum intermittentis ostendunt, morbus ipse decernitur, ita ut paroxysmi circa vigorem sensim sensimque remittant; paroxysmi autem singuli decursu regulari, crisibus conspicuis finiuntur. Permul-

tum sudore vaporoso efficitur, nonnunquam exanthema pustulosum, quod a veteribus scabies critica nominatur, erumpit, quo tamen contagium non conformatur. Per urinam multum effici negari debet. Saepissime quidem urina flavescens, sedimentoque lateritio praedita emittitur, quod tamen sedimentum haud raro etiam deest. A multis quidem affirmatum est, paroxysmos semper urina, ex qua sedimentum lateritium praecipitetur, dijudicari posse, imo etiam urina lateritia praevalente intermittentes larvatas dignosci posse: sed haec opinio multis observatis casibus falsa visa est. Compositum est illud sedimentum lateritium ex acido urico et ammonio urico, quibus materies rubro colore tinctae admixtae sunt.

Inflammationes febrium ratione diebus tantum designatis dijudicari neque interrumpendas esse, olim plerumque contendebatur. Quamquam re vera quidem in inflammationibus etiam oscillationes quaedam animadvertuntur, curae tamen adhibendae et crisibus absolvendis diebus certis non opus est. Plerumque inflammationes crisibus dijudicantur, quae crises aut universales febriles per sudorem et urinam, aut locales pro variis organis affectis, aut haemorrhagiae, inflammationibus imprimis propriae, esse possunt.

Sudor criticus in inflammationibus rarius aliquid in dijudicationem valet, magni autem momenti urina critica est, e qua sedimenta modo terrestria, modo crystallina, modo colore flavo (ex ammonio urico et acido urico, interdum etiam natro urico composita), modo colore purpureo (ex acido urico) secernuntur. Turbida vero urina his etiam in morbis critica haberi non potest, ut v. c. in nephritide et vesicae urinariae inflammationibus urina

nonnisi pellucida critica censenda, at nequaquam quae sanguine vel albumine admixto turbata est. In organorum respiratoriorum inflammationibus prae ceteris ex urina magna praecipitantur sedimenta, quae secundum observationes ab Andral institutas acido urico formantur, illisque sedimentis deficientibus urina vix critica declaranda est. — Maximi autem momenti in inflammationibus haemorrhagiae criticae videntur, quae, ut jam supra diximus, pro organo, ex quo erumpant, pro individuo, pro aetate, pro sexu et pro aliis morbis in corpore sitis aestimandae sunt.

Rheumatismi constanter crisibus conspicuis, sudore urinaque dijudicantur, quae copiosissimae in speciebus illius morbi acutis. In sudore rheumatico critico acidum lacticum liberum saepissime valde auctum repertum est; interdum phlyctaenae et in labiis et in angulis oris formantur. Ex urina stadii critici, quae semper reactione acida, permulti sales urici, et ammonium uricum et natrum uricum et semper quidem praecipitantur.

Arthritidis singuli paroxysmi interdum crisibus et per cutem et per urinam finiuntur, imprimis post podagrae paroxysmos saepe sudores fere colliquativi universales, qui aeque ac urina acido urico libero immixto memorabiles sunt, quibuscum simul haud raro miliaria arthritica, praesertim urina non sufficiente provocatur. Urina in dijudicandis paroxysmis missa tum natura acida, tum sedimentis copiosis lateritiis, ex permulto acido urico et libero et crystallisato formatis, tum sedimentis rosaceis, ex acido rosaceo formatis, magni est momenti. Morbus ipse tantum per lysin, sive per paroxysmorum crises perfecte absolutas decerni potest.

In morbo haemorrhoidali haemorrhoides profluentes sunt crisis habendae.

Quod attinet ad exanthemata, eorum nonnulla et quidem acuta, quae contagiis nascuntur, ipsa aestimanda sunt crisis effectus. Contagium est potentia nocens, quam a corpore conceptam et per cutem secretam ut rursus removeat, reactio vitalis laborat; itaque exanthematis eruptione quasi crisis imperfecta instituta est, quae deinde per excretiones consuetas et per urinam et per sudorem perficitur.

In morbo erysipelaceo maxime desideranda est crisis per cutem. Sudores hic copiosi calica sunt reactione. Ex urina, antea plerumque vere inflammatoria, in discrimine morbi pellucida reddita, sedimenta terrena, ex ammonio urico et majore interdum vel minore muci quantitate composita praecipitantur. Accedunt functione organorum bilem secernentium turbata crises per sedes biliosas.

Icterus, imprimis qui febri ardente conjunctus acutissime decurrit, crises locales et universales offert, quibus materiae morbificae (quae secretione hepatis imminuta, aliorum autem organorum secretione aucta, sub cutem vel per renes secretae erant) ipsae excerni videntur. Dum sudores enim apparent critici atque ex urina praecipitantur sedimenta copiosa, diarrhoeae etiam biliosae evadunt, quibus peractis et urinae et cutis color praeternaturalis evanescit.

Hydropis nunc mentio facienda est, in quo reactiones criticae saepissime animadvertuntur. Saepissime quantitates urinae permagnae emittuntur. Aqua etiam vias inconsuetas sibi eligere potest, et vomitu spontaneo, sali-

vatione, in mulieribus per vaginam effundi potest; plerumque autem reactio et crisis in hydrope imperfectae videntur.

Praeter illos morbos etiam permulti sunt, in quibus illud discrimen criticum jam causis rei inhaerentibus aut impeditur, aut certe aggravatur, unde

2. Crises deesse solent

primum his in morbis, qui e destructionibus organicarum materiarum orti sunt, quorum igitur causae aut omnino non, aut tardius tantum tolli possunt; deinde in morbis e laesionibus mechanice natis; tum in deformationibus malignis, quae omnibus vis vitalis assimilandi eas intentionibus resistunt; porro in morbis, qui e potentiis specifice nocentibus vi vitali invictis gignuntur; tum in morbis chronicis, sive destructionibus effectis habituales facti sint, sive ad medelam non materiae excernendae, sed potius adducendae indigeant (ut anaemia), sive succorum alienata ratione, quam secretionis atque nutritionis turbationes sequuntur, evocati sint (ut dyscrasiae); postremo in morbis, qui consuetudine in una alterave evolutionis periodo discerni solent, nec minus in iis, quibus instantibus vis vitalis jam adeo exigua est, ut reactionis symptomata observari non possint; denique in neurosibus: quamquam enim somnus morborum nervosorum crisis vocatus est, deinde in singulis neuralgiis excretiones copiosae aegrotis non inutiles una cum illo animadversae criticae habitae sunt, equidem tamen arbitror, quas dijudicationes modo nominavi non vi vitali effectas, sed sic dicta crisi causam remotam, vitium quoddam vegetationis cum neurosibus conjunctum, minime vero causam proximam ipsam, nervorum affectionem dijudicatam esse. Ne-

que somno ipso sanitas effici videtur, sed potius morbosae excitationis remissionem sequitur; morbo enim nervoso ipsi longinqua, ut sanetur, systematis nervorum immutatio opus est, qua effecta, in neurosibus erethicis paroxysmi rariores, leniores et breviores fieri, in paralyticis movendi facultas diminuta redire solet.

Crisium prognosis.

Cujusmodi crisis futura sit, utrum perfecta an imperfecta, fausta an infausta, res est variarum rationum ac casuum, quos jam allegavimus. Maximi autem momenti esse debet, reactionem neque vis noxiae intensitati neque aegrotorum naturae et viribus inaequalem esse. Irritamentum morbi vehementius reactionem etiam validiorem ad subigendum postulat, constitutioque robusta potentiae nocenti diutius ac majori cum potestate resistere potest. Res vero difficillima est constituere, illane ratio virium in crisi agentium aequa ac salutifera sit nec ne; an reactio hic revera excessiva ideoque temperanda, illic invalidior ideoque adjuvanda esse videatur. Morborum acutorum indicia crisi instanti faventia haec sunt: orgasmus atque expansio sanguinis aucta, cutis et membranarum mucosarum turgor, caloris major affluxus, sanguinis circuitus acceleratus, organorum vegetationis contentio, affectio sensus communis, organorum sensuum sensibilitas aucta, symptomatum denique consensus. — Vim vitalem ad crisin efficiendam necessariam deesse multa indicia demonstrant, ut omnium organorum collapsus, sanguinis dissolutio, cutis sicca et pallida, glandularum secretio deficiens, circuitus sanguinis accelera-

tus, pulsus vacuus, durus ac parvus, secretiones atque excretiones colliquativae, imprimis maxima symptomatum contradictio.

De stadii critici therapia

si copiosius dissererem, solitum speciminis academici ambitum longe superarem, perpauca tamen commemorare mihi licet.

Crises solius vis vitalis sunt effectus, nec remediis specificis excitari possunt, ut medico tantum apta victus moderatione aptisque remediis excretiones, quas sua sponte natura sibi delegerit, adjuvandae, atque excretionum viae patefactae conservandae sint: ubi prae ceteris momentum criticum observandum est, quod vel criseos moliminibus, vel ex variorum morborum vario decursu tempore cognoscitur.

Si multitudine materiarum, quae organa singula implent, ita ut neque assimilari neque excerni possint, crisis retardatur, cura jam instituta continuanda est, qua absoluta sponte fortasse illae materiae secernuntur. Sin autem excretionis organa ipsa congestione sunt excitata, illa est diminuenda irritatio vel relaxatione telarum contentarum, vel sanguine deplendo. Sed ubi vi vitali et organorum et organismi imminuta, excretiones impediuntur, aut excitantia, aut methodus restaurans, vel roborans exhibenda sunt.

Minime tamen negligendum est, crises universales fere semper per sudorem ac urinam una effici, quam ob rem utriusque ratio habenda est.

Ad sudorem eliciendum quaeque sint remota impedi-

menta, calor augeatur, sudores potu calido adjuventur, in torpore vero aut sudore insufficiente et cutis et systema nervorum ac membranarum diaphoreticis excitetur. Excretiones ceterorum organorum suppressae, per rectum, renes aut genitalia remediis ad illas specifice pertinentibus revocandae, contra excretiones copiosiores imminuendae sunt. — Haemorrhagiae, quae critica prae se ferunt symptomata, nihil nisi ut a medico observentur, reposcunt; quae non sufficiunt, vaporibus, fomentationibus, hirudinibus vel clysmatibus incitandae sed copiosiores calore detracto, situ apto, frigore, vel venaesectione derivatoria opprimendae, aut technice sistendae sunt. Semper tamen ratio habenda est, qualis sit individualitas, qualis morbi natura et qualis vis vitalis reactio.

VITA.

Fridericus Robertus **Nuchten** natus sum Heidaviae in Silesia sitae anno hujus saeculi decimo quinto patre F. Guil. **Nuchten**, praeceptore, matre Ernest. e gente **Kunith**, quos jam abhinc biennio morte mihi ereptos intimo animo lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Gymnasio Lignitiensi per quinquennium frequentato maturitatis testimonio instructus, civibusque universitatis litterarum Vratislaviensis adscriptus, per duos annos philosophorum et theologorum scholas adii. Quo facto Gryphiam me contuli ibique a Rectore magnifico Ill. **Grunert** in civium academicorum numerum receptus, disserentes audivi:

Ill. **Huenefeld** de chemia; Ill. **Tillberg** de physice experimentali; Ill. **Stiedenroth** de logice et psychologia; Ill. **Hornschuch** de botanice ac de zoologia; Ill. **Schulze** de anatomia universali, de osteologia et syndesmologia et de physiologia humana; Ill. **Seiffert** de pathologia generali, de materia medica, de semiotice, de arte fascias chirurgicas alligandi formulasque medicas rite concinnandi; Ill. **Berndt** de pathologia et therapia speciali, de arte obstetricia, quo eodem duce exercitationibus medicis et conservatorio clinico

interfui; Ill. Kneip de chirurgia generali ac speciali, cujus quoque scholam clinicam chirurgicam frequentavi.

Semestribus quinque peractis, multis rebus familiaribus adversis coactus Gryphiam reliqui neque prius ad studia redire potui quam duos abhinc annos. Quo tempore, ineunte semestri auctumnali Berolinum petii, ubi a Rectore magnifico Ill. Lachmann civibus academicis adscriptum me docuerunt:

Ill. Mueller et Ill. Schlemm artem cadavera rite dissecandi; Ill. Wagner medicinam forensem. Ceterum Ill. Juengken clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum, Ill. Busch clinicum obstetricium, Ill. Wagner clinicum medicum, Cel. Kranichfeld clinicum ophthalmiatricum frequentavi.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Plica polonica nihil aliud nisi pseudocrisis endemia est.
2. Febris intermittentis focus non solum in medulla spinali.
3. Calor corporis humani imprimis gignitur in pulmonibus.
4. Exstirpatio scirrhi non est rejicienda.
5. Febris non est morbus essentialis.